



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 87. Initia belli Granatenses inter & Mauros

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Divi ossa comburebant, ac cineres in A-  
 rarim flumen sacrilege projiciebant; ni-  
 hilominus caput ejus integrum servatum  
 est, & forte ex illo decerpta est maxilla  
 inferior omnibus ferme dentibus instru-  
 cta, quæ hodie Fontebellaquei in con-  
 ventu Mathurinatorum unacum imagine  
 hujus Sancti in quadam crystallina theca  
 religiose asservatur.

æcul. XV.  
 A.C. 1482.

## §. LXXXVII.

*Initia belli Granatenses inter &  
 Mauros.*

Hoc item anno bellum a Granatensibus  
 adversus Mauros inchoatum fuisse  
 videtur. Equidem Ferdinandus & Isa-  
 bella mox ad occupandum hoc regnum  
 animum adjiciebant: verum a tempore,  
 quo Maurorum imperium solo Granatæ  
 regno constabat, nemo Regum alius po-  
 tentia clarior erat, quam Albohacenus,  
 qui ex stirpe Almaharorum progenitus  
 hujus nominis undevicesimus erat. Sub  
 primis Regni sui auspiciis placidissima  
 fruebatur tranquillitate, quæ ab induciis  
 inter Christianos Principes ac Præde-  
 cessores suos nascebatur; hanc ipsam  
 vero pacem ipse brevi turbare cæpit:  
 ad id eum intempestiva imperii sui fi-  
 nes protendendi cupido, necnon perop-  
 portuna incitabat occasio, quam ei bel-

*Mariano  
 lib. 25.*

**Sæcul. XV.**  
**A. C. 1482.**

lum inter Reges Catholicos & Alphonsum Regem Lusitanie motum subintrabat. Ergo Vandalitiam, & Murcia regnum cum gemino, eoque fortissimo exercitu invadit, ac foede tantoque furore depopulatur, ut Ferdinandus, atque Isabella resistendo impares, non sine ingenti suorum dispendio pacem cum eo finire compellerentur; porro Rex, atque Regina foederis articulos fide integre observabant; Maurorum vero Rex cum Zacharam fortissimum oppidum obduciarum securitatem minus firmo munitum praesidio intelligeret, illud impetivito impetu obruit, ejusque gubernatorem trucidavit, captis omnibus, qui urbem incolebant. Hæc gesta fuere sequente anno præcedenti ad prima Valentia auspicia; unde merito ab hoc tempore peti potest felix epocha continuati historiarum cursus, quo Hispaniæ Monarchia brevi totum Granatæ regnum subjecit armis.

§. LXXXVIII.

*Alhama urbs a Ferdinando Maurorum erepta.*

*Mariano  
ibid.*

Ferdinandus & Isabella atroci Maurorum Regis perfidia ad condignam ultionem adeo erant provocati, ut pace cum Lusitanis firmata post Torensis prælium Valentiam